

1885

P O L E M I C I.

1886

fert, et inter Errorum Magistros etiam *Servetum*, *Blandratam*, *Ochinum* et *Franc. Davidis* commemorat. Nervosa est ad *Rudolphum* Imp. Peroratio.

II. fol. 53. Versio germanica hoc Titulo: *Libellus von den ketzerischen büchern vnnnd Schrifften, dieselben zu vermeiden vnnnd zu verwerffen aus lateynischer sprache verdeutschet vnnnd geschriben Durch den hochgelerten Herrn Petrum Ilicinum beyder Rächten Doctor vnnnd Can. zu Ollomutz. Anno salutis 1577.* En igitur Συμβολην ad Scripta Viri mihi ignotam, dum de eo in *Hist. Typogr. Vien. P. II. p. 481.* commentarer, ubi nec illud mihi succurrit, inferendum Eum procul dubio illustri Stirpi Delciorum (*d'Elce, Ilex*) Senensium, quae in *Hetruria* etiamnum floret.

CCCCLXXVIII.

⁶³¹ Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 180. 4. complectitur Sermones Sacros de praecipuis Temporum Controversiis a *Gerardo Gemer Trevirensi*, qui *Ernesto Austriae* Archiduci *Rudolphi* Imp. Fratri a. 1595. defuncto a Sacris fuit, e Scriptis et Concionibus, ut in *Praef.* dicitur, *Reuerendissimi Neapolitani Praesulis* in compendium redactos. Praesulem hunc non alium arbitror, quam *Melch. Kleselium Neostadiensis* in *Austria* Sedis primum Administratorem, dein Antistitem, virum in Seculi sui Historia notissimum.

Operam porro suam *Gerardus* dicit *Rudolpho* Imp. gravi Praeloquio, in quo inter alia: *compendiaria via demonstratur primum vera Definitio nostrae coram Deo Iustificationis, fideique iustificantis; tum quae sint istius testimonia καὶ κερτήρια, nempe obedientia fidei et Sacramentorum religiosa usurpatio: circa quae potissimum tota salutis acquirendae doctrina versatur.* Atque haec Concionibus XXXV. absolvuntur, quarum XIV. de *Iustificatione*, II. de *Baptismo*, IV. de *Confirmatione*, IV. de *Poenitentia*, I. de *Eucharistia*, V. de *Liturgia* seu de *Missa*, I. de *Festo Corporis Christi*, cui subiecta Instructio de ratione communicandi sub una vel duplici Specie, IV. de *ordinatoria Manus impositione*; omnes vero Thema ex *Actis Apostolorum* mutuantur, egregiamque cum linguae Graecae, et sacrae Antiquitatis, tum novarum in Religione diffensionum cognitionem produnt. Quae germanice admixta sunt, procul dubio ad Epitomatorem *Gemerum* pertinent, de quo aliud nil compertum habeo.

CCCCLXXIX.

Codex chartaceus lat. germ. ⁶³² Sec. XVI. Folior. 178. 4. eosdem Sermones eadem nitida manu exaratos exhibet, eo solum discrimine, quod hic a *Gemero* inscribantur Domino suo *Ernesto* Archiduci. Lubet e fine Praefationis quaedam adtexere. *Vt ergo*

U u 3

ergo

1887

C O D I C E S

1888

ergo Serenissime Princeps quantumcumque meum erga catholicam Ecclesiam tam misere haereticorum prauitate discerptam ac deformatam zelum demonstrem — falcem in alienam messem mittere non erubescō; cum — perspektissimum habeam, necdum eadem diuulganda ab Auctore typis mandari. Exspaciens itaque latius in amoenissimum Concionum Praesulis Neapolitani campum — flosculos — auulsi et in hunc libellum congeffi. — Si Tua Serenitas — comprobabit, impensi huius studij me minime pœnitebit, expeditiorem me etiam in posterum ad describenda, quæ restant, quamplurima sentiet.

CCCCLXXX.

673 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 145. 4. nitide scriptus hoc Titulo est: *Ad Serenissimum et Illustrissimum Principem ac Dominum, Dominum Mathiam Archiducem Austriae — Christianae Fidei circa Eucharistiae Sacramentum Exercitatio. Per F. Valentinum Fricium Burgauiensem ordinis Minorum regularis obseruantie eidem Sermo. Principi a sacris confessionibus, eiusdemque ordinis per Germaniam, Vngariam, Bobemiam et Poloniam Generalem Commissarium. E Praefatione, quae incipit: Si Tibi videbor Serenissime Archidux Mathia, in eo quod pridem pro tua pietate mihi demandaras, tuam diutius, quam par fuerit, expectationem tenuisse, quiduis mihi po-*

tius obijci patiar, quam hoc vlla mea tibi gratificandi negligentia contigisse &c. liquet, Autorem professione Neapolitana, aduersa quatuor mensium valetudine, cura extruendi Franciscanae Familiae Viennensis Monasterii, et commissorum sibi, vt minimum, trium millium hominum Seraphici ordinis haecenus impeditum fuisse, quo minus Mathiae obsequeretur. Opus deinde suum ita adumbrat: Posito diuinae Scripturae testimonio, de conditis a Deo primis humani generis parentibus, de constituta ipsis fidei erga Deum lege, quam perfidia violarint, et violando naturae suae integritate exciderint, diuinam in se iram prouocarint, vitiosa et corrupta natura suam posteritatem infecerint; eo rem deduco, vt ostendam quouis tempore Deum ab hominibus fidem erga se ad salutem exegisse, et Sacramentorum siue in veteri siue in noua lege a se institutorum salutarem usum in fide ipsis collocasse: Inde ad Eucharistiae sacramentum considerationem transfero, eique via quadam fidei sic insisto, vt ex ijs, quae auctoritate diuina tenenda sunt, ea in medium producam, quae de illo sacramento semper docuit et credit Catholica Ecclesia: nec alij sere, quam accersitis e Scriptura testimonijs in ista consideratione vtar. E Patribus non nisi ad Ambrosium et Augustinum parce se provocaturum, nec nominaturum Ecclesiae calumniatores. Mox ad Hominum de labore suo iudicia, ad Stirpis Ostriacae (ita enim scribit)